



DAniel Ulmæ Sueuorum natus & educatus est. Is cum adoleuisset, sese Romam contulit, atq; Campegio cardinali ad tēpus inseruiuit, & bonis literis diligēter operam dedit. Postea uerò cum Sigismundus ab Herberstein baro regis Ferdinandi legatus in Moscouiam tenderet, sese ei cōiunxit, & longissimi itineris socius fuit. Tum autem insolitum frigus ipsum adeò affecit, ut membris etiam nū tremere soleat. Cum reuersus esset, Spiræ in Camera Imperiali Aduocatum egit, & sua diligentia omnibus innotuit. Deinde Daniel Vuormatiam ueniens, anno circiter 1545 eius collegij canonicus, & postea scholasticus constitutus est. In eo uitæ statu

ipse etiamnum pergit, & literas cum literatis hominibus insigni beneuolētia prosequitur. Bibliothecam quoq; habet instructissimam, quam Vuormatiā præterienti rara humanitate ostēdit, & de ijs rebus, quæ ad meum institutum pertinerent, doctē mecum contulit, anno 1565. Vt etiam ille proximo inseruire, & talentum cōcreditum fideliter exponere queat, singulis mensibus absq; stipendio in monasterio Richorum uirginum Vuormatiæ concionatur, et auditores officij sui diligenter admonet, raro canonicorum eius collegij exemplo, Anon.